



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De præparatione nostræ redemptionis, 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, jucunditate & exultatione tua, pietate & suavitate tua, voluptate & concupiscentia tui; quæ sancta est & bona, quæ casta est & munda; ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammatur æ charitatis vaporatus, diligam te, Dominum meum dulcissimum, & pulcherrimum, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, & ex omni intentione mea: cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte: cum multa reverentia & tremore: habens te in corde & in ore, & præ oculis meis semper & ubique; ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus.

## C A P V T XI.

*De præparatione nostræ redemptionis.*

1. **P**ulcherime Iesu Christe, rogo te, per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem & lachrymarum fontem, præcipue dum preces & orationes tibi offero. Dum tu æ laudis tibi psalmodiam decanto. Dum mysterium nostræ redemptionis, manifestum misericordiæ tuæ judicium, recolo vel profero. Dum sacris altaribus, licet indignus, assisto: cupiens tibi offerre illud mirabile & cælestè sacrificium, omni reverentia & devotione dignum; quod tu, Domine Deus meus, sacerdos immaculatus, instituisti, & offerre præcepisti in commemora-

morationem tuæ charitatis : mortis scilicet ,  
& passionis pro salute nostra, pro quotidiana  
nostræ fragilitatis reparatione.

2. Confirmetur mens mea , inter tanta  
mysteria , dulcedine præsentia tuæ ; sentiat  
te sibi adesse , & lætetur coram te , ignis , qui  
semper luces , amor , qui semper ardes ; dul-  
cis Christe , bone Iesu , lumen æternum &  
indeficiens ; panis vita , qui nos reficis , & in-  
te non deficis ; quotidie comederis , & sem-  
per integer manes : resplende mihi , accende  
me , illumina & sanctifica vas tuum , de ma-  
litia evacula , imple de gratia , & plenum  
conserva ; ut ad salutem animæ meæ man-  
ducem cibum carnis tuæ : quatenus mandu-  
cando te , vivam de te , vivam per te , perve-  
niam ad te & repausem in te .

## C A P V T XII.

*De Gaudio.*

1. **O** Dulcedo amoris , & amor dulcedi-  
nis ; comedat te venter meus , &  
nectare tui amoris repleantur viscera mea ,  
& eructet mens mea verbum bonum.  
Charitas Deus meus , mel dulce , lac ni-  
veum , cibus & gaudium , fac me crescere in  
te : ut sano palato possis manducari à me . Tu  
es vita mea , qua vivo ; spes cui inhæreo ; glo-  
ria , quam adipisci desidero . Tu mihi cor-  
tene , mentem rege , intellectum dirige ,  
amorem erige , animum suspende , & in su-  
perna fluenta os sitientis te spiritus trahe .

2. Taceat , quæso , tumultus carnis ; con-

O 3

tice-